



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. De violento, coacto, necessario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

re debet obligationem ad aliquid faciendum habes in gubernatore, v.g. navis, qui eligit directè dormire tempore tempestatis, ex quo somno, atque adeo ex omissione navim gubernandi, indirectè, & moraliter sequitur naufragium; nam directè, & physice sequitur à tempestate, quod quidem naufragium merito imputatur ipsi gubernatori, qui poterat & debebat navi opitulari, non autem imputari potest mihi, qui tali tempore cecidam, esse potuissim, sed quia erat cum meo gravi periculo, nequaquam obligabar, ut ex *tract. de præcepto charitatis* suppono: Confirmatur: quia secus, Deus videns nos peccaturos, quandoquidem potest impedire, & non impedit voluntaria illi essent peccata nostra, sed certe non sunt illi voluntaria, quia nulla lege tenetur impedire.

3. Inquires: in hoc voluntario indirecto, v.g. in homicidio, commissio in ebrietate, quandonam peccatur, quando vinum largiter bibitur, an quando homini vultus lethale infligitur ab ebrio? Respondeo peccari quando vinum usque ad ebrietatem bibitur; nam propterea in hoc casu homicidium dicitur esse peccatum in causa. Imò idem dicendum est aliquando etiam in voluntario directo, quando enim venenum, v.g. inimico propinas, directè, ut illum interimas, peccatum non committis, quando is post aliquot dies moritur, in quibus fortasse te poenituit propinari veneni, divinamque amicitiam consecutus es, sed quando venenum propinasti. In utroque autem casu an mors dicenda sit effectus peccati cum Layman, *tract. 2. lib. 1. c. 3. de voluntariis, num. 5.* an peccatum denominativè cum Castropalao *tom. 1. tract. 2. de peccat. disp. 1. art. 3.* questio est nobis inutilis. Vide tamen quæ alibi explicuimus in *opus. Methodi conf. lib. 2. cap. 6. §. 2.* quantum pertinet ad modum, quo sit in confessione id aperiendum.

4. Est & alia divisio voluntarij, nempe in, expressum, quando scilicet explicite aliquid volumus, & in tacitum seu interpretativum, seu juris fictione, quando scilicet aliquid volumus implicitè. Verum id, & eius quædam limitationes vide apud Layman *lib. 1. tract. 2. cap. 3. num. 3.*

§. III. De Violento, Coacto, Necessario.

1. Volentum propriè (nam aliquando hæc nomina confunduntur) est, quod fit à principio extrinseco contra propriam inclinationem eius, in quo fit, & convenit tam rebus inanimatis cognitione carentibus, quam animatis cognitione nentibus. Coactum addit ad violentum, cognitionem; nam lapis v. g. sursum projectus violentari dicitur, non cogi; animal verò, aut homo si in aliquo ligetur loco, dicitur cogi. Necessarium est illud, quod est determinatum ad unum, quod convenit tum violento, tum coacto. Convenit etiam spontaneo, quando ad illud habetur animi propensio; namque amor Dei in anima beata dicitur necessarius, ut item actus primò primus in voluntate: quamvis enim in his sponte, seu secundum propriam inclinationem, anima, & voluntas agant, tamen quia determinantur ad unum, necessario, & non liberè operantur. Hinc nota voluntarium liberum non solum tolli per coactionem, quando scilicet cogitur, qui ad aliquid præstandum contra propriam inclinationem, sed etiam quando non cogitur, sed necessitatur, seu determinatur ad unum, quamvis cum magna sua inclinatione, ut accidit in dicto amore, & dictis actibus primò primis.

2. Sit ergo regula, omnes illæ actiones seu passionnes, quæ in nobis sunt secundum alias inclinationes, sunt tamen contra deliberatam voluntatem, non sunt nobis voluntariæ & liberæ, sed in illis violentiam, & coactionem patimur, quare non peccamus. Ratio regulæ est clara ex dictis, quia quamvis sint secundum inclinationem aliarum potentiarum, tamen sunt contra inclinationem voluntatis deliberatæ. Huius generis est prædictus amor in patria: Huius sunt prædicti actus primò primi in voluntate: Huius item sunt motus in appetitu sensiti-

vo, seu in membris corporis, quando voluntas advertens repugnat.

3. Sed ecce tibi celebris difficultas. Ad hoc ut aliquis actus, vel passio faciat in nobis sit coacta, atque adeo involuntaria, & non peccaminosa, satisne est, ut voluntas deliberata non consentiat, negativè scilicet se habendo, an requiratur ut positivè dissentiat, v.g. vis infertur Virgini, & aliquis rapitur ad Idola, ita ut manus eius cogantur inferre incensum ipsi Idolo, aut sentit quis in parte inferiori motus sensuales; Si prædicti solum non consentiant, satisne faciunt suæ obligationi, an non tales actus seu passionnes sint ipsi involuntariæ, atque adeo non peccaminosæ, an necesse sit, ut per actum positivum talibus motibus repugnent.

4. Respondeo, Multorum sententia est non satis esse, negativè se habere, quia si positivè non dissentiant, videntur illis motibus consentire, ita S. Th. p. 2. q. 74. art. 6. *Morol. tom. 1. lib. 4. c. 6. quest. 5.* alique apud Ioan. Sanch. mox citandum.

5. Non desunt tamen plures, ut Tolet. Thom. Sanch. alique apud Ioan. Sanch. d. 1. per totam, qui docent cessante periculo positivè consentisse satisfieri obligationi, si tantum negativè quis se habeat, quia præceptum ad nihil aliud obligat, nisi ad non volendum illos motus; at satis non vult, quod non consentit. Verum de hac re parco nunc meam profertè sententiam, infra lib. 1. o. si Deo placuerit, prolatus.

§. IV. Ira & Concupiscentia quomodo se habeant circa Voluntarium.

1. Huiusmodi animæ passionnes (sub quibus comprehenditur Amor, Desiderium, Spes, Gaudium, Odium, Desperatio) non tollunt regulariter Voluntarium acceptum pro libero: ita S. Thom. p. 2. q. 6. art. 7. secus, communiter nunquam homines peccarent, quia communiter ad peccandum ab his passionibus inducuntur. Ratio autem ultior est, quia regulariter supponimus ab his passionibus non ita obscurari rationem, vel cogi voluntatem, ut impendatur debita advertentia, debitaque libertas.

2. At Minuuntur sane minuunt, ita Castrop. *tom. 1. tr. 2. d. 1. p. 5.* quia eiusmodi perturbationes, non tollunt, turbant certè intellectum, ut non sinant considerare omnes objecti conditiones, & circa illas expedite deliberare; videntes enim hominem ed magis inclinare in objectum, quod maior est passio, quæ ad illud movet.

3. Ex his fit, ut contractus initii ob magnam spem lucri, vel ob magnam amorem circa aliquid, iuxta eundem *ibid.* ut item promissiones, donationes, legata, hæreditates extorqueant blanditiis, & precibus sine dolo & fraude, sint observanda, iuxta eundem *ibidem* aliis citatis, quia ex una parte sunt maxime spontaneæ, & ex alia, debita libertas in his regulariter non deficit.

4. Dixi (regulariter) nam non nego aliquando has passionnes adeo esse vehemètes, ut omnino ab iis obscuratur nobis ratio: in quo eventu (nisi in causa quis peccaverit admittendo tales passionnes cum prævisione effectus secutus) à peccato excusabimur, quemadmodum nonnulli à peccato exculant interdum eos, qui ex vehementi passione ipsos interficiunt, hi enim facile præsumuntur in brevem quasi amentiam incidisse, dum tantum malum propriæ interregionis non apprehendunt.

§. V. Metus quæ ratione se habet circa Voluntarium.

1. EA, quæ fiunt ex metu, licet interdum (quando scilicet displicet actio, quæ ex metu fit) involuntaria sint secundum quid; absolute tamen sunt voluntaria, tantamque habent voluntarij liberi rationem, quanta sufficit ad peccatum vel ad merendum: ita S. Thom. p. 2. q. 6. art. 6. & passim Theologi. Ratio est, quia, qui merces v. g. projicit ob naufragij timorem, verè omnibus expensis, ob bonum vitæ, (quam servare hic & nunc intendit) ejusmodi jacturam, licet cum displicentia